



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Petri Chrysologi Archiepiscopi Ravennatis, viri
eruditissimi atque sanctissimi, Sermones In Evangelia De
Dominicis & festis aliquot solemnioribus totius anni,
insignes & peruetusti**

Petrus <Chrysologus>

Lvgdvni, 1623

In Psalmum XL. Sermo XIV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50232](#)

periuria, suggeste blasphemias, vaniloquia diffundite, infundite dolos, conflare auaritiā, lucra turpia prouidete, vt quod venter modò ad luxuriam non depedit, vel sacculus claudat, & reponat ad pœnam. Caue te ante omnia, ne misericordia, ne eleemosyna, ne humanitas præteritos labores nostros deleat, præsentes auferat, tollat futuros. Sed nos fratres, & nostri regis agnoscentes monita, & quæ diabolus suis mādauerit audientes, ieiunia nostra sine lite, sine clamore, sine ira, sine dolo, sine simulatione cum tota misericordia, charitate, pietate peragamus: vt Dominus Christus, qui spretis pecorum cruentis victimis, spiritus contriti & cōtribulati cordis sacrificium requisivit, cum silentio pacis ieiunij nostri hostias placatus & propitiatus assumat.

In Psalmum XL. Sermo XIV.

PRæliorum peritis militaris tuba personat disciplinam, imperitis tantum terrificum dat clamorem: vt magistra bellorū dat suis vires, hostibus dat paurorem. Qui sine tuba dimicat, miles nō est: fertur furore, nō prælio, virtute nō agit, sed periculo: quærit perire non vincere. Hoc diximus, vt Christi miles intelligat, cœlestis quare prouisa sit cātilena. Constituti in cāpo sæculi pugnam cum diabolo, cum vitiis sustinemus. Quoties ergo nobis intonat propheticus clangor, toties nos in pace cautos, & in acie fortes, & in prælio reddit invictos. Namque hodie beatus Psalmista ad intelligentiam nos supernam cōnuocat per clamorem. *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem.* Et quæ est intelligentia, vbi est professa paupertas? Vis est intelligentiæ, si rimeretur viscera, si deprehendat occulta, si tecta nudet. Verūm subiecta oculis, exposita in publico, ingesta rebus, non est intelligere, sed videre. Nuditate

ditate algidus, tabidus fame, siti aridus, laßitudine tremens, defectu luridus, quod egenus sit intelligere quis labor? Et si labor intelligentiae nullus est, vnde est intelligentiae fructus: Oremus fratres, ut ipse nobis intelligere intelligenda concedat, qui se intelligi in paupere sic demonstrat: quod ipse qui cœlum tegit, sit nudus in paupere, quod in esuriente esuriat saturitas rerum, quod sitiatur in sitiente fons fontium, intelligere quomodo non magnum est? quomodo non beatum intelligere, quod ei sit ampla paupertas, cui angustum est cœlum? qui ditat mundum, quod egeat in egente? quod frustum panis, aquæ calicem dator omnium queat? quod se Deus amore pauperis sic deponat, ut non adsit pauperi, sed ipse sit pauper? hoc cui videte dederit Deus, ipse videt. Sed quomodo aut in se transfigerit pauperem, aut se in pauperem fuderit, dicat ipse iam nobis: Esuriui, inquit, & dedistis mihi manducare. Non dixi, esuriuit pauper, & dedistis illi manducare: sed esuriui ego, & dedistis manducare mihi. Sibi datū clamat quod pauper acceperit, se manducare dicit quod comederit pauper: quod bibit pauper, sibi testatur infusum. O quid agit amor pauperis, gloriatur in cœlo Deus: vnde pauper erubescit in terra, & hoc reputat in honorem sibi, quod pauperi computatur iniuria. Dixisse sufficerat, dedistis mihi potum, sed præmittit, esuriui, sitiui: quia parvus fuisset amor pauperis quod pauperem suscepisset, nisi & passiones pauperis suscepisset: & certè verus amor non nisi passionibus probatur. Verus amor est fecisse suas augustiatis angustias: nimis est quod sapit Deo pauperis cibus, qui totius creaturæ bona non esurit, saginatum se in esca pauperis prophetizat in regno cœli corā omnibus angelis in conuentu resurgentium. Quod Abel passus sit, Gen. 4.

quod

Gen. 6.
Gen. 15.
Exo. 10.

quod seruauit mundum Noë , quod Abraham fidem suscepit, quod Moyses legē tulit, quod Petrus crucem resupinus ascendit, Deus tacet , & hoc clamat solū quod comedit pauper. In cœlo prima est esuriētis annona, prima stipendia pauperis tractātur in cœlo, ergatio pauperis prima diuinis scribitur in diurnis. Beatus cuius nomē toties Deo legitur, quoties ratio pauperis recitatur in cœlo. Sed istius beatitudinis audiamus & fructū: *In die mala liberabit eñ Dominus.* Qui se nouit per mala sæculi vitā ducere, eleemosynæ sēper secum auxilium ducat, ad præsidium sibi turmas pauperum vocet, in pastu pauperum largus protogator exuberet, pauperum frequentet domum, non trepidet ergando, desicere nescit cui porrigit manum parcus acceptor: exhausti thesaurus is nō potest, de quo sufficit nummus. *In die mala liberabit eñ Dominus.* In die mala illi Deus liberator assistet, qui à malis pauperem liberarit. In angustiis illum Deus clamantem audiet, qui pauperē cum clamaret, audierit: Non videbit diē malū, qui dies bonos habere pauperē fecit. Videbit diē malū, qui diē iudicij sineaduocationepauperatis intrauerit. Sine causa accusant peccata, quem pauper excusat. Excusari nō potest, quē fames pauperis accusarit. *Dominus, ait, conseruet eum & viuificet eum.* Non dixit, conseruat & viuificat: sed dixit, conseruet & viuificet. Dixit, non vt denunciantis vox sit ista, sed rogantis. Qui audit̄ rogantem egenum, ecce audit orbe toto pro se Ecclesiam sic rogantem. *Dominus conseruet eum & viuificet eum.* Conseruet, ne rapiatur ad pœnam: viuificet, vt resurgat à mortuis, & recipiat vitam. *Et non tradat eum in manu inimici eius.* Cuius inimici: nempe diaboli, ipse est inimicitarum princeps: despicit inimicos, qui ipsum inimicitarum calcarit authorem. *Dominus autem adiuuet eum super lectum dolori*

loris eius. Exequitur Propheta omnes ærumnas fragilitatis humanæ. Dominus autem adiuuet eum super lectum doloris eius. Quis est lectus doloris nostri, nisi corpus nostrum in quo anima iacet, & iacet dolens, & dolet, quem cœlū repetere cupiēs premitur corporis terra. Vniuersum stratum eius versasti in infirmitate eius. Istū non versat in stratum, sed in strato versat infirmus. Caro ergo est, quæ versatur & versat. Ipsa est ergo quæ in aduersis voluitur, in prosperis versat, Dominus ergo versat stratum nostrum, quando nobis aduersa vertit in prospera: & quia in lecto doloris, hoc est in lecto corporis animus volucbatur ægrotus, ipse qui volucbatur, proclamat. *Ego dixi domine miserere mei, scilicet na animam meam, quia a peccanti tibi.* Quia per consensum carnis sentit animi se contraxisse laguorem, ut anima sanetur, implorat: & misericordiam petit fidens, quia in pauperem misericordia fecit. Beatus qui sacerdando pauperi ipsum sibi iudicem præsttit debitorem.

De Centurione, Sermo XV.

Audituri estis hodie fratres, quemadmodum cohortis Romanæ Centurio dux factus est militiæ Christianæ, & meritò, quia ante cœpit docere quam credere. Venit, inquit, Iesus Capernaum, & accessit ad eum Centurio rogans, & dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, & male torquetur. Et ait illi Iesus, Ego veniam & curabo eum. Et respondens Centurio, ait: Domine, non sum dignus ut intres sub tectū meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus: nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic vade, & vadit, & alij, veni, & venit: & seruo meo, fac hoc & facit. Videtis Centurionem antequā discipulatus subiret officium, locum magisterij fuisse sortiū. Præber enim petendi formam, dat normam credendi, fidei pan-

D dit